DISSERTATIO
INAUGURALIS PATHOLOGICO-ANATOMICA,

SISTENS

CASUM SINGULAREM

DE

AMAUROSI CRANII OSTEOSARCOMATE EFFECTA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITTERARIA FRIDERICA GUILELMA,

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XVI. M. FEBRUARII A. MDCCCXXIX.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENSURUS EST

AUCTOR

ADOLPHUS ALBERTUS GUIL. RHODIUS,

GUESTPHALO-BORUSSUS.

OPPONENTIBUS:

A. NIEMANN, MED. ET CHIR. DR.
F. KUEPPER, MED. ET CHIR. DR.
EW. SCHMIDT, MED. ET CHIR. CAND.

ANNEXA TABULA AENEA.

BEROLINI,

TYPIS AUGUSTI PETSCHII.

PATRI

DILECTISSIMO, OPTIMO

H. C. RHODIUS,

VERBI DIVINI MUNERA

POST SEMISAECULARIA FELICITER PERACTA

SUMMA DEI GRATIA CELEBRANTI

HAS STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS,

AD

DIEM HUNCCE LAETISSIMUM ORNANDUM RECOLENDUMQUE

MAXIMA RELIGIONE ATQUE PIETATE

D. D. D.

AUCTOR.

Summmos artis salutaris adeunti honores optatissimum cum semper hoc tempus sit visum, dignior hicce dies effulsit jucundiorque exstitit et duplex honor eoque major et insignior evasit, fortunatissimo cum mihi contigerit, ut celebrandis patris dilectissimi semisaecularibus peractis atque consecrandis aliquid et ipse conferam.

Ac tibi quidem pater amantissime! hocce juvenile opusculum traditurus, primo quidem gratulor, qua par est, pietate maxima, deinde summas ago gratias numini divino summo, quod talem tibi excitaverit diem laetissimum donaveritque, qualem exoptant plurimi, pauci assequuntur. Jam vero et ornatissimis academiae nostrae viris publice gratias ago iterum iterumque maximas, quorum benevolentiae atque humanitati debeo haecce, quae tibi trado, pater optime! studiorum meorum initia.

Primum autem omnium virum ornatissimum licet vocare professorem academiae hujus Illustrissimum *Rudolphi*, praeceptorem multis nominibus mihi colendum, qui, qua semper solet liberalitate, consilio suo et sapientia me ad-

juvit plurimaque benevolentiae praestitit cumulavitque documenta. Nec possum, quin palam summam humanitatem glorier professoris Cel. *Jüngken.* Is enim non solum suppeditavit dissertationis hujus materiem, sed hocce adeo indulgentiae et favoris insigne specimen adjunxit, ut tradendae historiae rarissimi nostri morbi dederit veniam.

His igitur Viris Ornatissimis publice gratias ago maximas, cum laetissimum illum diem patrisque dilectissimi celebrandos honores et humanitate et dignitate atque auctoritate ornasse videantur mihi ac illustrasse. Proferat deus optimus et benignus in humanitatis studiorumque salutem eorum vitam, et, qualem celebrandum dissertatione aggredior diem fortunatissimum, talis ut viris ornatissimis ipsis quando contingat, pia mea vota audiat!

Qui de amaurosi scripserunt viri celeberrimi, multum semper perscrutati sunt, quaenam ejus sit causa, qualis natura, quomodo moliatur ejus vis et quaenam struat. Ac fuere quidem, qui indagandis oculi partibus subtilioribus causam inveniendam esse existimarint, nec negandum, hanc morborum doctrinam multum plurimumque tempore recentissimo profecisse. Tamen et aliae exstant amauroseos causae, quae quamquam raro sint observatae, dignae profecto studio evaserunt atque diligentia. Etenim cogitantibus, quaenam sit oculi perfectissimi organorum omnium natura, in quo omnis fere diversa et varia systematum omnium reperitur structura, quaenam sit conspiratio et harmonia, ut corpore laeso actio quoque oculorum atque sanitas simul destruatur tollaturque, ut oculi ipsius morbus mutua vice agat in corpus et conspiret quasi cum illo, haud mirandum profecto est, coecitatem oculi et ipsam aliis omnino causis oriri posse et majoribus gravioribusque, quam scriptores opinantur. Talem itaque hac dissertatiuncula propositurus morbum oculi, mutua partium vicinarum reactione nexuque effectum, dignam suscepisse rem videor, talis cum raro et a paucis tantum amauroseos causa sit observata. Etenim tractaturus sum cranii osteosarcomatis exemplum insigne, quod cum totius corporis exitium et cladem, tum praesertim oculi labem effecerit. Pulchra autem observatione exordium licet facere, idem de nostro praedicandum esse morbo, quod de malis parasiticis nuper proposuit *Betschler* *). Ac haud immerito vir celeberrimus ille ipse et Cel. *Kluge* omnes hasce morbosas affectiones bifarie dividerunt. Vasa enim sanguifera, e quibus nutrimentum et vitam accipiunt, aut interne aut externe

*) *Betschler*, *Rust* Magazin XVI. Bd. 2. H. pag 193 etc.

sunt posita. Quaedam autem mala parasitica systema vasorum in media parte maxime evolutum habent, centralis haec evolutio in medio exoritur, ita ut vasa foras excrescant. In altera specie fons vitae est extra positus et mors in medio ingreditur, incrementum ab ambitu introrsum progreditur et vasa sanguifera malum quasi ambiunt. Ad primam autem pertinet morbus noster, extrorsum etenim vasa fluidiorem exhalationem deposuere, involucrum expansum est ambiens, increvit crassiusque est redditum *).

Jam vero perlustrantibus nobis historiam morborum, atque fontes, pauca exstant exempla, quorum talis fuerit natura, qualis mirifici nostri morbi apparuit. Ac sunt quidem nonnulla, quae de hac re protulerint in medium viri doctissimi, accuratiorem autem hactenus talium morborum descriptionem vix reperire unquam potui. Verum haud praetermittendum mihi est visum, haec etsi pauca sint, similia exempla huc paucis referre verbis, ut, qui velit, haecce comparet cum nostris, non enim meum fuisse existimavi, relata uberius referre, sed satius duxi, quae noster morbus propria secum ferat, proponere atque explicare.

Qui primus amaurosin hisce cranii tumoribus exortam observavit, omnium summus vocandus est *Morgagni* **). Differt autem, quem narrat, casus multis et diversis naturae aberrationibus. Neque enim solum tumorem insecuta est amaurosis, sed ipse nervus opticus protrusus atque distentus, ut tales haud raro occurrunt apud multos scriptores observationes, evanuit fere omnino, resorptione quasi absumptus, vicinisque inhaerens partibus. Verum et alia existunt, quae scriptores fide dignissimi narrarunt exempla. Ac ne multa dicam, similia quidem mihi vidisse videntur viri celeberrimi multi, quorum sufficiat proferre nomina *Fantoni*, *Borellique*, sed et *Plateri Boneti* aliique tali ratione amaurosin esse exortam commemorant; quorum autem omnium collec-

*) *Rust* Magazin XVI Bd. 2. H.

Schröder van der Kolk, Observationes anatomico pathologici et practici argumenti; Amstelodami 1826.

Argumentis probavit, quae *Betschler* et Cel. *Kluge* descripserunt observaruntque.

**) *Morgagni* de sedibus et causis morborum. epist. XII.

collectionem cum nuper dederit *Wenzel* *) et *Otto* **), talia quoniam accuratius non sunt descripta praeterire haud ineptum esse existimavi. Tamen rationi consentaneum duxi, ut noster quidem morbus comparari breviter possit cum veteribus, haec praesertim paulo uberius explicare, quae a viris celeberrimis istis accuratiore quodam studio et diligentia sunt descripta. Prima autem, quam referunt, observatio multis cum nostro malo respondere videtur. Ac hoc quidem quamquam ex mechanica quadam causa originem duxerit, mirum profecto et dictu dignum exstitit, totius fere morbi signa nostri eadem evasisse, eandemque incertam fuisse curam et diagnosin morbi, tamen hocce praesertim a nostro differt, ut amaurosis nulla fuerit exorta, itaque ad alia nostris similiora progredior.

Altera observatio pluribus nostrae accedit, aliis autem multo distat, cum vix unam eandemque mali cujusdam naturam observaverit quispiam, ipsaque natura in singulis aberrare soleat. Amaurosin autem tumore effectum esse ibi elucet, sed major quaedam partium destructio apparuit, qualis in praeparatis Vratislaviae videri licet. Nam orbitam et ipsam invaserat morbus, tumores autem duo ex parte orbitali sinistra orti carcinomatosae indolis, laminae cribrosae ossis ethmoidei insedebant, anterior magnitudine nucis moschatae, posterior pisi ambitum aequans. Sed utriusque natura haecce evasit, ut colore atrocoeruleo duri inaequalesque appareant.

Os et ipsum destructum, nec nisi membranaceum, est repertum. Quodsi tali ratione bulbum protrusum, nervum opticum sinistrum inde a foramine optico ad chiasma contabuisse conspicuum fit, vix hoc unquam erit, qui admiretur; sed mirum profecto est alterius lateris opticum non esse mutatum, talis cum saepius et fere semper ob nervorum decussationem mutatio exstiterit.

Tertiae clarior exorta diagnosis est. Etenim medullari sarcomate, ut vo-

---

*) *Wenzel*, Beobachtungen über den Hirnanhang fallsüchtiger Personen. Mainz 1810. pag. 93 et 94.

**) *Otto*, Handbuch der pathologischen Anatomie. Breslau 1813. pag. 127.
l. c. Neue seltene Beobachtungen zur Anatomie, Physiologie et Pathologie gehörig. Berlin 1825. pag. 82, 88, 94.

cant, oculi sinistri exstirpato, mirandum vix videri potest, alterum oculum eodem morbo esse affectum. In basi autem cranii ingens reperiebatur sarcoma, citri aurantii magnitudinem aequans, cum orbitae sinistrae tumore quasi concretum. Tali ratione per os ethmoideum sphenoidalesque alas porrecto tumore, utriusque lateris opticus evanuit, ita tamen, ut chiasma superesset et quasi eandem, qualis in piscibus reperitur, nacta sit naturam. Nec nervorum aliorum tertii, quarti et quinti, septimi et octavi paris defuere destructiones atque immutationes.

Praeter exempla modo enarrata *Otto* seriori tempore quinque, illis similia, observavit; quod autem phaenomena morbosa, hominum vitam comitantia, attinet, pauca tantum aut nihil comperire potuit. Aliquanto post demum certior est redditus, unum mortuorum hemiplegia, alterum amaurosi ejusdem lateris quod tumor obsedit, laborasse. Omnia cadavera fuerunt adultorum, imo duo seniorum; quorum quidem tumorum species tres circa encephali superficiem, nimirum duobus circa hemisphaeria cerebri, uni autem circa faciem inferiorem hemisphaerii dextri cerebelli erant locatae; hoc quidem in casu hemiplegia lateris sinistri exstiterat tumorque magnitudinem nucis moschatae retulit; majores erant ambo tumores circa cerebri haemisphaeria positi, tam hi, quam ille membrana tenui, serosa, vasorum experte, erant obducti, foveas impresserant cerebri substantiae per piam meningem leviter cum ea cohaerentes. Bis in lobo posteriori hemisphaerii dextri cerebri tumores similes, et majores, apparuerunt; bis duo, nucis juglandis magnitudinem habentes, juxta positi sunt; tertio in exemplo unus modo tumor adfuit, ovi columbini figuram et circuitum referens. Omnes isti tumores, cerebri substantiae leviter insidentes, vel lympha quadam ab ea distinebantur, vel facillime, nulla adhibita laesione, ex ea prorumpebant; integumento membranaceo omnes carebant; substantia autem cerebri finitima haud aegrotabat, quamquam utroque in casu cerebrum mollissimum videbatur. — In quinque illis exemplis tumores ejusdem fuerunt indolis: colore enim cinereo flavidoque atque figura rotundiuscula, vasis caruerunt; massa fuit homogena, solida, adiposa et medullaris; unus modo tumor nucleum friabilem, indolis scrophulosae obtulit. —

Ex quibus qualis sit osteosarcomatis talis raritas haud dubie apparet. Jam

ad nostrum morbum convertimus, primum, quomodo exortum sit malum, quanam ratione fecerit progressus dicturi, deinde ejus naturam explicaturi atque descriptionem uberiorem.

MORBI HISTORIA.

Carolina S. quadraginta tres annos nata, statura pusilla, corpore tenero sed pleno, capite crassiusculo, facie ovali, oculis coeruleis sat magnis, eximiam visus aciem habentibus, vultu gaudebat alacri, temperamento hilari et irritabili, facile ab immodica laetitia ad tristitiam, ab hoc ad laetitiam compellebatur. Quatuor ediderat infantes sanos, bisque fecerat abortum et quum mammae abundarent lacte, ipsa aluerat infantes. Novissimum inter puerperium (ante annos decem ac dimidium), causa vix ulla conspicua, metastasis lactea ad cerebrum incidit, quae idoneae medendi rationi brevi tempore cessit. Non vix probabile est, hancce metastasin, nuptam frequenti corporis excitatione, saltatione effecta, cui mulier aetate juniori nimium indulsit, ansam praebuisse vitio cerebri, quod mortem postremo induxit. Ante annos circiter duodecim foeminae caput januae vehementius illidebatur, at nulla ejus laesio oculis patebat; morbis gravioribus parum laboravit, si excipias febrem nervosam acutam, circiter ante annos duodeviginti exortam. Iste quidem morbus aliquam nervorum debilitatem reliquisse videbatur, quae longis oscitationibus, crebra per intervalla redeuntibus, sese manifestabat. Catamenia aptissimum sequebantur typum, singulis enim mensibus profluvium incidebat normale, verumtamen sexto aut octavo ante mortem anno cessatione imminente, tum ternis aut quaternis mensibus profluvium, paulatim auctum apparebat, tandemque sine ullo medicorum auxilio ad normam pristinam restituebatur. Anno circiter dimidio ante mulieris obitum menses ex toto retinebantur nec unquam redibant. Faciei color per plures ante mortem annos mutationem subibat, cutis, antea candidissima, colorem induebat flaveolum, maculis fuscis passim intermixtum, qui hepatis morbum, irregularem bilis secretionem et saburras gastricas manifestare videbatur. Neque minus postremis vitae annis mictus erat difficilis mulierque

sensationem conquerebatur, vesica quasi pressione aliqua impedita, quominus lotium reddat. Ab ultimo inde vitae decennio, et quod excurrit, foemina crebris capitis doloribus, cum nausea, saepe pyrosi conjunctis, laborabat, qui causis gastricis originem debere videbantur vomituque exorto aliquamdiu aberant. Vomitus, facillime accedens, saepe digito in fauces demisso excitabatur; quum vero exigua ista evacuatio raro sufficeret, emetica saepius propinabantur, quibus haustis multum muci tenacis, humoris acidissimi, dentium hebetudinem efficientis multumque bilis eructabatur. Hic vomendi conatus ad ultimum vitae terminum exstitit vomitusque balneo Carolinensi, quod aegrota adierat, eam concepit indolem mirificam, ut, mox post coenam vomitu orto, nihil nutrimentorum ingestorum, sed bilis et mucus humorque acidus, supra dictus, redderentur. —

Mense Julio A. 1827 aegra post meridiem, tempestate aestuosa, per varias urbis partes easque longius distantes solita festinatione discursans, admodum commota, domum reversa vestes exuebat gravique refrigerio sese submittebat. Parum sibi prospiciens, aliquot post dies, non minus aestuosa tempestate, Potisdamium profecta, ibi summopere admirata est, quum omnia objecta duplicia oculis offerri, animadvertisset, quae perversitas cessit, quoties clauso oculo dextro, quippe qui primus aegrotabat, objecta intuebatur solo sinistro; vertigo quoque intercurrebat.

Domum redux, nihil suspicans periculi medicorum tamen auxilium imploravit. Ac balnea quidem fluviatilia, ab illis imperata, quum male convenirent, mox omissa sunt mulierque, ut exhilararet mentem, Neostadium est profecta, balneis usura; at medicus recusatis balneis, morbum arthriticae indolis esse judicavit et magnetismi usum salutarem fore censuit, quanquam vix multum sperandum ex hoc remedio esse opinatus; extemplo tamen pediluvia imperavit magnaque vesicatoria cervici applicavit. Quatuor hebdomatibus elapsis, foemina Neostadio Berolinum rediit et tum demum Profess. Dr. *Jüngken* consuluit. Visum diminutum conquesta est oculi dextri, quem, quoties cernere tentaret, claudere consueverat et per breve tantum tempus non sine difficultate et contentione aperire potuit. Apertis utriusque oculi palpebris, dexter oculus strabismo introrsum paene ferebatur omniaque objecta, inprimis propinqua,

utrique oculo duplicia apparebant, longinquiora melius cognoscebantur; alterutro oculorum clauso, perfecta diplopia disparebat. Dextro oculo scilicet aegrotante, mulier objecta, a facie anteriori recto oblata, distinguere non poterat, quippe quae nebulis involuta videbantur, quae vero a latere offerebantur, satis luculenter videbat. Oculi sinistri visus integer effecit, ut aegrota omnia muliebria peragere posset. Praeter hanc oculorum labem foemina dolorem fere continuum sincipitis conquesta est, qui per annos jam protractus, sensationem excitavit, tanquam ulcus ibi existat; nunquam vero tantus fuit dolor, ut majores efficeret turbas. Neque minus per intervalla accesserunt nausea, pyrosis ac vomitio humoris acidi acrioris; digestione infracta alvus cum difficultate quaternis diebus, vel rarius secessit sanguinisque congestiones versus caput ortae sunt. Inprimis autem narium cavitas ardore quodam specifico laboravit, cujus quae fuerit causa investigari non poterat; tempestatis mutationes augere videbantur hoc malum, inimica enim tempestate non solum majorem cephalalgiam, verum etiam visum hebetiorem aegrota sensit. Corpus macie confectum, facies colore abdominali, quem vocant, conspicuum fuit. Tam istae affectiones quam symptomata gastrica diversi generis, perinde ac morbi introitus refrigerium secutus, tempestatis efficacia in corpus aliarumque causarum manifestarum defectus hancce mali naturam indicare videbantur, oculi morbum e causa abdominali et rheumatica originem duxisse, quam sententiam medendi ratio administrata confirmavit. Non autem verosimile visum est, lentis capsulam in consensum esse vocatam et cataractae primordia imminere. Stabilita, quantum potuit, morbi oculi causa remedia laxantia et resolventia blandiora et pediluvia calida calorque pedum siccus, hirudines circa anum, tartari stibiati inunctiones pone auriculum et emplastrum ex eodem paratum, fronti temporibusque imponendum, imperata sunt, quibus adhibitis valetudo universa mirifice instaurabatur, oculi autem morbo nullo modo mutato. Hanc ob rem aegrota suasore Profess. *Jüngken*, medicorum peritissimorum aliquem consuluit, qui, eandem morbi causam professus, oculi morbum inprimis in rheumatismo musculorum oculum moventium collocavit. —

Consentiente viro utroque peritissimo, cauterium ex lapide infernali pone dextram auriculam, inter processum mastoideum et mandibulae angulum admi-

nistratum, ulcus longius per tempus sustentatum, intus camphora auctis paulatim dosibus, propinata est. Novissimum dictorum remediorum aegrotantis organismo adeo inimicum fuit, ut ventris affectiones non mediocriter augerentur, quam ob rem aegrae imperatum est, ut, quanquam anni tempus nimis esset profectum, aqua Carolina artificiali, quae hic parari solet, uteretur. Usus hujus aquae, per quatuor hebdomades continuatus, generatim quidem in gastricas affectiones salutarem exseruit efficaciam, sed perinde ac suppuratio ulceris artificialis, adeo exhausit corpus, ut aliquamdiu remediorum omnium usum suspendi, viresque victu nutriente et eupeptico paulo instaurari oporteret. Intra illud tempus aliquot per menses magnetismus animalis, seu remedium insons, cui aegrota aliquid fiduciae habere coeperat, sine ullo fructu adhibitus est. Ac valetudo quidem totam per hiemem annorum 1827 — 1828 nihil mutationis subiit, si ab eo discedas, quod corporis vires paulatim redibant, universus organismus reficiebatur, foemina integriorem atque hilariorem se gerebat palpebrasque oculi laborantis melius aperire poterat, quod quidem remedio domestico, quo insciis medicis usa erat effectum esse censuit. Quotidie nimirum oleo hepatis piscini (Quappenleber) palpebras aliquoties illinierat. Videndi facultas oculi aegrotantis plane cessit, modo interdum, sub luce artificiali, umbram observavit in pariete, non recta, sed obliqua via intuens; Strabismus nihil fuit mutatus. Quae cum ita essent, dextrum oculum vix restitui arte et vi ipsa medicatrice natura posse judicarunt medici, sinistro autem conservando omnem curam esse dandam. Diagnosi stabilita, ut oculi morbus praesertim e causis gastricis, stagnationibus humorum scilicet in systemate venae portarum, in vasis glandulisque meseraicis deducendus videretur, redeunte vere anni 1828 imperatum est aegrotae, ut balneum frequentaret Carolinum, quod medio mense Junio adiit idque tulit praeceptum, ut aquis tantum temperatioribus iisque modice uteretur, a reliquis plane abstineret. Eidem sententiae suffragatus est medicus Pirnensis peritissimus, quem ut consuleret, foeminae erat imperatum. Iter non modo corpus gravius affecit, sed etiam sanum oculum ita offendit, ut visus turbaretur; quum vero aegra per aliquot dies quieti indulsisset, nova illa calamitas cessit visusque integer rediit, quo factum est, ut foemina quoad per adversam valetudinem liceret, multum diei sub dio degeret,

imo aliis comitantibus vicina inviseret. Primos per dies aquae Carolinae usus saluberrimus exstitit, paulo post autem tanta ventriculi affectio apparuit, ut imperante medico vomitorium hauriret, quippe quo recusato aquarum usum nihil auxilii praestiturum, ille affirmavit. Hausto emetico, prisci conatus vomendi, aliquamdiu fere ex toto sublati, aucta vehementia redire videbantur, nec per reliquum tempus ab aegrota discedebant, quo in balneo Carolinensi commorabatur. Muci rejectio tanta fuit, ut medicus in usu fontis ebullientis, quem dicunt, solum auxilium ponendum esse judicaret, quo illa posset sublevari. Proinde foemina, neglectis iis, quae Berolini et Pirnae erant praecepta, per reliquum, quo in balneo degebat, tempus aquas hausit ebullientes; quum vero, omnibus irritis, quatuor hebdomades paene essent elapsae viresque adeo exhaustae, ut foemina cubiculo aegre decedere posset, domum redeundi consilium cepit. Vespera diei, qui ante profectionem fuit novissimus, circiter unciam salis Carolinensis et aquae bullientis cucullum hausit alteroque die maximopere prostrata Teplitziam pervenit, ubi tantum pediluviis usa, aliquot per hebdomades refectionis causa comorari jubebatur, quae itaque commoratio in oculi morbum nullam exseruit efficaciam. Vehementibus capitis doloribus refrigerio, cui sese submiserat, excitatis, emplastrum cantharidum cervici applicabatur locique secretio diutius alebatur. Viribus aliquantum instauratis, Dresdam sese contulit ac in itinere oculi sinistri, hujusque sani, visum labefactum animadvertit, eo quidem gradu, ut curru vecta regionis amoenitates haud cognosceret. Breve post tempus inde profecta, die XXX M. Augusti Berolinum est reversa, viribus summopere fractis, visu adeo hebescente, ut suos sibi obvios parum certo cognosceret. Cervicis locum, cui emplastrum cantharidum applicatum posteaque organon secretorium fuerat sustentatum, durante itinere obsederat carbunculus eximiae magnitudinis; qui die noctuque acerbissimos inferens dolores, febri inflammatoria ingente summaque anorexia stipabatur plurimumque efficiebat, ut foeminae vires jam labefactae magis consumerentur. Carbunculus aliquot dies post reditum incisura cruciata satis alta findebatur telaque cellulosa degenerata, kali caustico saepius imisso, in crustam gangraenosam mutabatur. Quum aegra omnia medicamina maxime recusaret eorumque usum tenacissime repudiaret, nihil restabat, quam ut victu idoneo, eupep-

tico scilicet atque nutriente, corporis vires foverentur, excretiones alvinae rite sustinerentur topicisque remediis id efficeretur, ut, submota quam plurimum tela cellulosa emortua, in carbunculo contento, ulcus purgaretur ac per suppurationem sanaretur. Oculorum morbus, adeo jam provectus, ut sinister oculus quoque coecitaret aegrotaque tenebras tantum a luce distinguere posset, rebus ita constitutis non respiciendus videbatur, sed omne auxilii conamen differendum erat, donec valetudo universa in melius esset conversa. Nec vana quidem ista fuit spes: carbunculus enim puriorem secernere lympham coeperat, reddita corporis quiete febris decrevit, anorexia desiit, vires ex parte redierunt, modo sitis et ardor ingens faucium, quae rubefactae inveniebantur, remanserunt; omnia potulenta paulo calefacientia ardorem adeo exaltarunt, ut foemina nec vino, nec cerevisia tenuiori uti posset. Ac tali quidem ratione valetudo rediit, etsi segnior et lenta, sed refectam ita se sensit, ut, e balneo redux, nunquam melius habuisset, quamobrem venia ei data est, aliquam diei partem extra lectulum degendi. Sub vesperam vero ejusdem diei foemina, ingenti agitata inquiete, tremula voce delirare coeperat; refecta autem sermones claros sobriosque edidit, pulsus tamen mutationem inimicissimum evenisse, indicavit. Poculum minimum, aquae plenum, quod manu sinistra tenebat, pondus plumbeum grave sibi videri dixit; quod cum brachio stupore oppresso adscriberetur, rerum adversum timor adfuit nullus. Jam vero diei alterius hora matutina paralysis totius lateris sinistri apparuit: etenim pes et brachium ejusdem lateris fere nullo modo moveri, palpebra sinistra modo paululum aperiri potuit. Foemina summo stupore oppressa jacuit, ac si initio clarioribus acclamationibus est excitata mentisque compos est visa, protinus tamen novo stupori ac temulentiae submittebatur. Inter huncce soporem perpetuum conata est, manum dextram capiti admovere; praecipue os manibus attingens saepeque digitos altino inducens. Interrogata, num oris dolores sentiat, „ferri candentis instar" respondit, quae ejus novissima fuere verba. Dubitare non amplius licuit quin vitium cerebri organicum repentinae mutationis causa exstiterit; quae cum ita essent, nullum remediorum adhibitorum auxilii aliquid praestitit. Itaque aegrota pridie Calend. Octobr. sub horam pomeridianam sextam vita decessit.

SEC-

SECTIO CADAVERIS.

Inciso cadavere, luculenter apparuit, morbi oculorum diagnosin falsis superstructam fuisse principiis. Talis enim morbi causa evasit, ut organico quodam vitio nervi optici protractio quasi et distentio effecta esse viderentur.

Nam demto cerebro, in media meninge tumor rotundiusculus in conspectum prodiit, qui ab alis minoribus ossis sphenoidei orsus, ad mediam partem clivi *Blumenbachii*, pone ephippium, inter partes petrosas utriusque ossis temporum porrigebatur; quod lateralem expansionem attinet, magis ad dextrum latus extendebatur, quam sinistrum; infundibulo superne in hunc tumorem immisso. Nervi autem optici prope introitum in foramina optica, dura meninge investita, tumore subjecto erant compressi et complanati. Ac in hoc quidem loco intumescentiam sublaevem, rotundisculam offerebant, tanquam medulla repressa ibi esset et accumulata. Tumor iste nervi optici sinistri aliquanto crassior sinistro erat, neque minus nervis, oculomotoriis circa introitum hujus membranae constrictis et citra introitum conjulatione evadente nulla. Nervus trigenimus sinister, tumori propior, partim ab eo cingebatur. Elevata dura meninge a cranii basi tumor apparuit ovi magnitudinem aequans, paginae inferiori tunicae dictae adhaerens, quo totum ossis sphenoidei corpus ita fuit destructum, ut tumor pone choanas ad narium cavitatem descenderet ibique membrana pituitaria tegeretur; prominentiam tamen haud finxit, etenim priusquam eximeretur, exploratio per os nullum ejus vestigium detexit; exemto autem tumore, sese obtulit apertura, a dicto inde loco in cranii cavum patescens. Tumoris compages mollis exstitit atque spongiosa, ossiculis circa peripheriam, in substantiam se insinuantibus, munita, similis eorum tumorum compagini, qui alia ossa spongiosa, nominatim pelvis ossa, quandoque obsident et cum diploe tunicaque medullari cohaerent, quamobrem hunc tumorem osteosarcomatibus adnumerandum censeo. Tumore juxta in fundibulum dissecto, facile observare licuit, glandulam pituitariam, seu hypophysin cerebri, reliquo cum tumore perfectissimum alere commercium, ea tantum differentia interposita, ut substantiae mollities aliquanto major hic animadverteretur. Nervi optici una cum musculorum oculi originibus, antice dura meninge tecti, tumo-

rem supra tegebant, nullum cum eo commercium ineuntes. Carotidis dextrae cursus juxta ossis sphenoidei corpus (tumore destructum) per tumorem ferebatur cujus incrementa plus minusve pressionis in eam exseruisse, rationi consentaneum videtur. Cetera dilucidabit tabula, opusculo adjuncta.

Jam vero nostri morbi descripti naturam explicaturus, tumorem in cavo cranii repertum inter osteosarcomata referendum censui, variis hocce argumentis probari posse ratus. Haud dubie autem tumor ab osse sphenoideo ejus corpore, ut superiora docent, destructo, exortum esse facile inde explicatur. Nam meditantibus nobis processum ossis morbosum, talis tumoris primordia sistentem, pressione praesertim continua, quam tumor exortus in os exseruerit, hujus morbi quomodo origo exstiterit, haud mirandum est. Ac eadem quidem ratione altero in exemplo, quod exposuit *Otto*, partes orbitales ossis frontis, quibus insidebat tumor, eximiam destructionem passae sunt. Commercium autem tumoris cum glandula pituitaria, in casu a me descripto, forsan effectum esse materiae plasticae effusione, quam et ipse *Otto* observavit, vere dicturus videor. Etenim major ibi mollities substantiae exstitit, quam reliqui tumoris. — Quaenam vero nostri horumque tumorum generalis sit causa, qui vulgo osteosteatomata appellantur, egregie quidem disseruit *Otto* *), quum, repudiato nomine osteosteatomatis, osteosarcoma potius, aut carcinoma ossium vocandum esse edixerit. Idem non vituperandum censet eorum sententiam, qui sarcomatis medullaris nomen hisce tumoribus imponant. Perinde ergo ac scirrhus et cancer, osteosarcoma parasitis adnumerandum videtur. Quemadmodum enim scirrhus atque cancer partium mollium, ita osteosarcoma dispositione propria nititur, non scrophulosa, ut quidam dicunt, sed specifica, non accuratius describenda. Sicut scirrhus interdum per annos nulla capit incrementa, interdum autem rapidissime decurrit, ita osteosarcoma, vel tardissimam, vel repentinam evolutionem offert. Quemadmodum ineunte scirrho partes

---

*) *Otto's* neue seltene Beobachtungen etc. pag. 25 sqq.
l. c. pag. 84.

molles durescunt, ita osteosarcomate ingresso partes laborantes initio mollescunt, siquidem resorpta calcaria aufertur, protinus vero scirrhi naturam induunt. Sicut autem in scirrho glandularum, tunicarum mucosarum et cutis tam densitas, quam color et structura maxime discrepant, sic differunt haec in osteosarcomate, prout vel hoc, vel illud os affectum est, vel unum vel alterum morbi stadium exstat. Quemadmodum scirrhus in carcinoma occultum et apertum transit, sic osteosarcoma paulatim cancri naturam adsciscit. Partes molles, osteosarcoma circumdantes, antea normales, non modo pressioni ingenti cedunt, sed morbum osteosarcomati similem concipiunt: inflammationibus malignis, et exsudationibus et ulcerationibus oriundis. — Meditantibus enim vero nobis, hosce tumores modo introrsum, modo extrorsum posse luxuriari, non est dubitandum quodquidem, *Otto* *) censet, multas species fungi durae matris huc referenda esse, quippe quibus aut parum, aut nihil commercii sit cum dura meninge. — Etiamsi *Otto* **) dyscrasiam propriam osteosarcomati subesse dicit, alibi tamen profitetur, huncce tumorem forma singulari morbi scrophulosi excitari. — Respicientes ergo causam, quae osteosarcoma intulerit foeminae, cujus historiam dissertationi praeposui, non aliam invenimus, nisi metastasin illam lacteam, qua post novissimum puerperium correpta frequentes insuper corporis aestuationes, saltationi nimium indulgens passa est. Ratum tamen habeo, haecce momenta, dispositioni propriae, quam defensurus sum, adjecta, satis suffecisse, ad concitandum cranii osteosarcoma. Num diathesis scrophulosa adfuerit nec ne, cum evidentia neque affirmari, neque negari potest; pensitandum autem nobis videtur, diathesin scrophulosam non semper veram manifestare indolem, sed quasi occultam, diversis morborum formis ansam praebere. — Restat, ut de symptomatibus, quae status ille morbosus deinceps excitaverit, nonnulla moneam. Primum nimirum affectiones universales, naturam et rheumaticam et gastricam referentes, facile deduci possunt a consensu inter ventriculum et cerebrum, tumoris increscentis impetu offensum. Symptomata, tali cranii tumore producta, saepius febrem

---

*) *Otto* l. c. pag. 85.

**) *Otto* l. c. pag. 95.

rheumaticam gastricamque aemulari, prima docet observatio, ex *Ottonis* libro allegata. Quod autem visus alienationes, nimirum diplopiam et amaurosin attinet, fateri quidem debemus, ea vitia quandoque desiderari, tumoribus etiam maximis cranii exortis, quippe quod haud dubie observatio prima, supra exposita testatur; nihilosecius tamen, si adsunt, perturbationibus cerebri praecipueque nervorum opticorum sunt adscribenda. Sed mirum fortasse illud est, quod diplopia exstiterit, si aegra utroque oculo uteretur, clauso vero alterutro, protinus evanuerit. Ac hoc quidem uberrime recentiori aevo de diplopia ejusque varietatibus exposuit *Purkinje* *). — Primam itaque irritationem morbosam nervorum opticorum diplopiam effecisse, majorem vero compressionem paralysin eorum atque amaurosin, cerebri tandem offensionem, tumore maximum ambitum adepto et introrsum progresso, corporis hemiplegiam mortemque induxisse, vix unquam erit qui dubitet.

---

*) *Purkinje*, Beiträge zur Kenntnifs des Sehens in subjectiver Hinsicht. Prag 1819.

TABULAE EXPLICATIO.

Fig. I.

S. S. S. Margo cranii dissecti.
A. A. Partes laterales fossae anterioris basis cranii.
B. B. Partes laterales fossae mediae.
C. Crista Galli.
a. a. Nervi optici.
b. b. Venae opthalmicae cerebrales.
c. c. Arteriae carotides cerebrales.
d. Infundibulum.
e. e. Nervi trigemini.
f. Pars clivi Blumenbachii, ad quam tumor porrigitur.
g. g. Nervi abducentes.
h. h. Nervi oculi-motorii.
o. o. o. Tumoris ambitus.

Fig. II.

O. Tumor excisus.
E. Dura mater reclinata.
a. a. Nervi optici.
e. Nervus trigeminus sinister.
c. Arteria carotis dextra.
r. Pars palati.
y. Musculi bulbi dissecti.

VITAE CURRICULUM

EX DECRETO
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS BEROLINENSIS ADJECTUM.

Ego *Adolphus Rhodius*, confessioni addictus evangelicae, Rosbachii, vico ducatus Nassoviae natus sum XXV die Junii anni MDCCCVI, patre carissimo *H. C. Rhodius* verbi divini ministro, idem munus nunc obeunte Niederdreselndorfii, Guestphaliae pago, matre, e gente *Buhl*, dilectissima, quos parentes superstites intimo animo per divinam gratiam veneror atque laetor.

Primis autem litterarum elementis institutus in paedagogio Dillenburgensi, privato deinde magistro usus, ad studia academica praeparatus anno MDCCCXXV in almam Rhenanam universitatem me contuli, ibique examine scholastico superato testimonio No. II. instructus, arti salutari navavi operam.

Rectore Magnifico viro Illustrissimo *A. G. a Schlegel*, Decano Cl. *Harlefs* anno MDCCCXXV civium academicorum numero adscriptus, per semestria quinque virorum hujus academiae Illustrissimorum praeceptis frui mihi contigit.

Hic per hoc tempus studia colenti mihi ex ordine philosophorum tradiderunt: psychologiam et logicam Cl. *van Calker*; physicen experimentalem Cl. *a Münchow*; chemiam experimentalem Cl. *Bischof*; Zoologiam Cl. *Goldfufs*; botanicen generalem et pharmaceuticam Cl. Cl. *Nees ab Esenbeck* sen. et jun.; mineralogiam Cl. *Noeggerath*.

De medica arte audivi praelectiones has: encyclopaediam et methodologiam medicam, incrementum et evolutionem foetus duce Cl. *Mueller*; osteologiam et syndesmologiam Cl. *Weber*; anatomiam generalem, specialem, nervi sympathici sensuumque organorum Cl. *Mayer*; Cl. Cl. *Mayer* et *Weber* etiam in cadaveribus dissecandis duces mihi fuerunt. De Pathologia vero et therapia generali, diaetetice hygieineque nec non de thermis Germaniae disserentem audivi Cl. *Harlefs*. Anthropologiam, physiologiam, therapiam generalem et specialem, semioticen et animi

morbos mihi tradidit Cl. *Nasse*; materiam medicam et artem formulas concinnandi Cl. *Bischoff*; de arte vero obstetritia Cl. *Stein*; de chirurgia, morbis oculi, institutionibus aciurgicis et doctrina de fasciis applicandis usus sum duce Illustr. *a Walther*, qui et ipse in praxin chirurgicam me induxit. —

Tum in universitatem Berolinensem profectus, lectionibus interfui professorum clarissimorum hisce: de morbis animi Cl. *Horn*; de fracturis et luxationibus Cl. *Kluge* scholas adii. Clinicis deinde institutionibus gavisus sum et medicis et chirurgicis ophthalmiatricisque atque obstetriciis virorum Illustrissimorum Cl. *Neumann*, Illustr. *Bartels*, Illustr. *de Graefe* et Illustr. *de Siebold*. In operationibus exercendis instruxit me Cl. *Schlemm*.

His igitur Viris Celeberrimis, si quid est in me doctrinae, hanc praesertim debere gratissima mente confiteor, summamque in aeternum recolere gratiam intimo laetor laetaborque animo.

Jam vero examine philosophico et medico et rigoroso peracto, dissertationeque conscripta, thesibusque publice defensis, spero fore, ut summi in me conferantur in medicina utraque honores.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Amputatio, quam vulnera indicant, protinus post laesionem facienda est.

II.

Sectio conica est omnibus aliis praeferenda.

III.

Erysipelas non unus idemque morbus.

IV.

Graviditas reproductionem organicam adauget, eaque multarum, quae in illa obviam veniunt, morbosarum affectionum fons est.




Fig: II.

